



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XIII. De Libelli Oblatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

dam Lites exigunt modum in Judicio
diversum a Summario in specie tali:
uti in Processu Possessorio, Edictali,
Matrimoniali, Feudali &c. de quibus
alibi jam dictum, vel infra dicendum
est.

TITULUS XIII.
DE SUPPLICATIONE PRO
IMPETRANDO PROCES-
SU, ET LIBELLI OB-
LATIONE.

Conf. Decretal. Lib. II. tit. 3. § II.

§. 155.

*Supplica-
tio tendit,* **O**BFIRMATO ad litigandum animo,
tandem eundem ad Judicem, in-
tuitu Rei & Causæ competentem. In
Causis levibus, ubi partes præsentem
sunt

de BERGER. in Electis Processus Pro-
vocatorii. BRUNNEMAN ad eand. Leg.
De Forma Judicii Ecclesiastici consuli pos-
sunt OCTAVIANI VESTRII Introductio
in Rom. Aulæ Actiones &c. cum Anno-
tationibus GRAVATII. SIGISMUNDUS
SCACCIA de Judiciis. PETRI RIDOL-
PHINI Praxis Recentior. CAROLI PEL-
LEGRINI Praxis Vicariorum.

De Libelli Oblatione. 191

sunt in loco Judicii, Actor oretenus implorat Judicem, ut partis Citatio fiat. In Superioribus Tribunalibus Actor non mox tentat viam Processus Judiciarii, quando alia ratione per auctoritatem Judicis finem suum consequi sperat. Initio igitur per libellum supplicem desiderium suum declarat, & quid decerni desideret, in Conclusionem Supplicationis exprimit. Supplicatio hæc, ubi stylus Curie, & Cause qualitas eam desiderat, continet honorificam Judicis compellationem, nomen Supplicantis & Rei, brevem ac perspicuam facti narrationem: causam petendi, seu jus, ex quo agere quis cupit: conclusionem seu petitionem: demum subscriptionem nominis proprii Supplicantis, & ex stylo multorum Tribunalium, etiam nomen Concipientis. Inscribitur exterius Rubrica nigro conveniens. Si mox inferatur libellus, supplicatio brevissimis verbis concipitur, cum relatione ad insertum Libellum. Conclusio supplicationis tendit ad extrahendum *Mandatum*; vel ad petendam *Audientiam*; vel ad decernendum *Processum*.

§. 156. *Mandata sunt præcepta Ju- Vel ad
dicis,*

*extra-
bendum
Manda-
tum:*

dicis, quibus nulla citatione præ-
via Reum inauditum aliquid facere,
vel omittere jubet. Aliqua sunt *Cum
Clausula*, scilicet justificatoria, quæ
parti, contra quam expediuntur, pote-
statem relinquunt, si se per ista Man-
data gravatam senserit, rationes & cau-
sas, cur ei parere necesse non habeat,
in præfixo ad id termino judicialiter
proponendi. Potest tali Mandato
subjungi legalis Citatio, ut Reus,
si E. G. ad restitutionem se non tene-
ri existimet, ad certum diem in Judi-
cio compareat, actioni motæ respon-
deat, & sententiam exspectet. Man-
data *Sine Clausula* dicuntur, quæ parti,
contra quam diriguntur, recta paritio-
nem & executionem sub certa pœna,
sine ulla Clausula de allegando grava-
mine, injungunt. Quamvis regulari-
ter non liceat inchoare ab executio-
ne, nihilominus talia præcepta in cer-
tis circumstantiis valent, propter sin-
gularem manifesti juris rationem, abs-
que ulla causæ cognitione, præsertim
si periculum sit in mora. Exemplum
habemus in novi operis nuntiatione,
ubi quando aliquis post solennem
nuntiationem ab opere non cessavit,
nec debitam de demoliendo cautio-
nem

De Libelli Oblatione. 192

nem præstitit, præcipitur, ut Reus sine mora omnia post spretam nuntiationem exstructa dejiciat, & in termino præfixo compareat de præstita partitione & obedientia fidem factururus. Unde Mandata S. C. supponunt factum tale, quod nullo jure justificari potest, & de cujus existentia fides fit Judici adjectis legitimis attestationibus aut Instrumentis: admittitur tamen exceptio sub- & obreptionis; cum hæc etiam Mandata tacite contineant Clausulam, *si preces veritate nitantur* 90.). Ratio ipsa dicitur, talia Mandata non facile, præsertim subditis contra Magistratus, esse concedenda: bene igitur fecerit Judex, si antequam illa decernat, supplicationem Actoris communicet Adversario, & ab eo pariter relationem facti petat, nisi summum subsit in mora periculum. Constitutiones Imperii hæc Mandata permittunt l. quando factum aliquod ita jure, consuetudine-

N

ve

90.) De his fuse agit FRIDERUS MINDANUS de Processibus libro II. qui totus est de Mandatis, uti omnes alii Auctores, qui de Processu Camerali scribunt, *De Judiciis.*

ve prohibitum est, ut citra Causæ cognitionem pœnam mereatur. II. si factum sit contra Rempublicam commissum. III. si damnum irreparabile adsit. IV. si periculum sit in mora, & in aliis casibus, in quibus a præcepto ordiri Leges permittunt 91.)

*Vel ad
audien-
tiam:
vel ad
Proces-
sum,*

§. 157. Si Causa ad impetrandum Mandatum requisitis qualitatibus instructa non sit, Actor tamen sibi persuadeat, se jus suum absque multo molimine demonstraturum; Supplicationis Conclusionem ita formare potest, ut, quando praxis Tribunalis id admittit 92.), Reus citetur ad *Audientiam* (Zur Gütlichen Verhör) ubi primum causa summarie cognosci & suaderi transactio, aut si de Justitia ejus mox constet Judici, statim illa per sententiam terminari solet. Si vero Causa altioris esse indaginis deprehendatur, recusantes transactionem ad Processum

91.) Conc. Ord. Camer. p. 2. tit. 25.

92.) In Consilio aulico Imperatoris, audientia non sunt in usu, bene tamen in Camera Imperiali. In Bavaria eas non adhibent superiora Dicasteria in Causis summaris, sed tamen in Processu ordinario. frequentior earum usus est in Judiciis inferioribus Hofmarchialibus.

cessum ablegantur. Potest etiam Supplicans petere, vel Judex ex Officio decernere Commissionem, si animi litigantium commodius hac ratione placari credantur, vel negotium facilius per Commissarios expediri possit, quale est testium examinatio, ocularis inspectio, instrumentorum recognitio, terminorum lapideorum elevatio & repositio 93.). Quando autem Causa non aliter, quam per formam Processus finiri posse censetur, in Conclusionem Supplicationis petit Actor admitti ad *Processum*. Insinuata Supplicatione, Judex pro ratione facti propositi decernit, an & quatenus petitis deferendum, vel ea rejicienda sint.

§. 158. Hodie in plurimis locis, *Libellè* præsertim ubi summarie proceditur, absque ulla prævia supplicatione pro impetrando Processu, mox ab initio porrigitur *Libellus*, qui dicitur parva scriptura claram continens Actoris intentionem. Nomen Libelli extenditur etiam ad actionem in judiciis inferioribus ore prolatam, vel ad Pro-

N 2 tocol-

93.) De his fuse agit RUTGERUS RULANDUS tract. de Commissariis.

tocollum dictam 94.). Libellus vel est *simplex* & Summarius, in quo factum breviter & perspicue narratur, juncta legitima petitione: vel *articulatus*, ubi factum certis Articulis comprehenditur, ac per omnes circumstantias deducitur. Retinetur hodie libellus Simplex, Articulado etiam per Recessus Imperii prohibito. Libellus *ineptus*, deficiens in substantialibus rejicitur, etiam si pars adversa contra illum non excipiat: talis est, qui non includit jus agendi, ineptam causam expressam habet. Libellus *Vitiosus* sustineri potest, si altera pars nihil opponat, ut si sit obscurus, alternativus, nimis generalis, incertus.

*Requisi-
ta.*

§. 159. Requisita ad formam Libelli Summarii hoc disticho includuntur:

Quis, quid, coram quo, quo jure
petatur, & a quo,
Recte compositus quisque libellus
habet.

I. Exprimitur nomen Judicis. In Superioribus Dicastriis observandus est
Stylus

94.) Germanice Libellus scriptus dicitur
Eine Klagschrift; ore tenus prolatus
ne Klag.

Stylus Curia, an Libelli inscribendi sint ipsi Principi an vero Dicasterio. In Consilio Aulico Casareo diriguntur Causae ad ipsum Imperatorem; in Camera Imperiali ad Judicem Camerae. Causae Ecclesiasticae plerumque ad totum Collegium Consilii vel Consistorii Episcopalis. II. Nomen Actoris in tertia, vel in prima persona. III. Nomen Rei: si plures sint, primo loco nominantur singuli (nisi sit universitas), per reliquum contextum nominatur unus, addito: *Et consortes*. Idem observandum de Actoribus, si plures sint. IV. Causa petendi, seu jus, ex quo agitur. Si actio est realis, exprimi solet causa proxima id est, dominium: si personalis, ponitur causa remota, scilicet contractus, vel delictum. V. Narratio facti brevis & perspicua, adjectis omnibus necessariis facti circumstantiis, ut inde Judici constet, quae actio instituat: Non enim necesse est, ejus nomen exprimere. VI. Citationis, Litis Contestationis & subsequenter sententiae petitio. In Processu Summario non opus est, ut in Libello petatur litis contestatio. In Processu autem executivo, solummodo petitur, ut Reus citetur

ad recognitionem productæ obligationis. VII. Conclusio, quæ ex natura Actionis accurate formanda est, cui solet adjici protestatio de Expensis. Varias Clausulas Advocati solent adjicere Libello, quarum pleræque sunt inutiles, vel abundantes. De fructibus, interesse, Usuris & Expensis utiliter fit mentio, nisi ex Stylo Tribunalis hæc omnia comprehendantur sub salutari illa Clausula, qua Nobile Judicis Officium meliori quo fieri potest modo, pro jure & justitia largissime administranda imploratur.

An liceat emendare vel mutare? §. 160. *Emendare libellum quoad accidentalialia, manente quoad substantiam eadem actione, semper licet; potestque Judex ipse per Decretum talem emendationem præcipere: mutare autem eundem, ita ut nova Actio instituatur, post litis contestationem non aliter licet, nisi ut refusus impensis, integra Instantia perimi existimetur, & novo Judicio opus sit. Emendatione opus haberet Libellus, vitio plus petitionis laborans, quando plus petitur Re, Loco, Tempore vel Causa. Licet pœnæ in Legibus impositæ plus petenti hodie fere*

exoleverint; ex officio tamen deberet Judex importunitatem plus petentium non impunitam dimittere, nisi quis commissum forte absque malitia errorem mature emendaret 95.).

§. 161. Quamvis nomen Actionis in libello non opus sit exprimere 96.), ipsum tamen factum cum omnibus circumstantiis adeo perspicue proponendum est, ut juxta supra dicta Judici constet, qualis Actio intentetur. Unde etiam in Relationibus ad normam Camerae Imperialis formandis, primo loco quaeritur, quae instituta sit Actio. Haec dicitur *Tus persequendi in Judicio, quod sibi debetur*. Qui subtilem verborum proprietatem considerant, animadvertunt, verbum *debetur* improprie poni, quatenus realem Actionem respicit: nam adversus eum, qui nobis obligatus est, seu debet, proprie dicimur agere: Petitorium autem proprie dicitur, cum quod nostrum est, nobis restitui petimus 97.).

Constare
debet
qualis
instituitur
Actio,

N 4

§. 162.

95.) Vid. GONZALEZ in Cap. un. de plus petit.

96.) C. 6. de Judiciis.

97.) MENOCH. de Recuper. poss. Prælud. n. 9.

*Hec de-
pendet ex
facto na-
turali:*

§. 162. Ad deprehendendam cuiuslibet Actionis naturam & nomen, notandum, quod jus persequendi ex facto oriatur: & tota Actionum diversitas ex qualitate & variis facti circumstantiis dependeat, adeo ut *in factum* Actio concedatur, quando proprium Actionis nomen deficit, æquitas tamen evidens pro Actore militat. Aliqua facta ex naturali ratione dependent, uti est factum *Generationis*, ex quo resultat Actio ad alimentum; item factum *contracti Connubii*, unde oriuntur variæ actiones, ad implendas obligationes conjugales, ad cohabitandum, ad alendam uxorem, ad præstandas ab uxore operas, ad complendum matrimonium post sponsalia.

*Vel ex
vinculo
Societatis
humane:*

§. 163. Ratione vinculi Societatis humanæ, multas obligationes constituit æquitas naturalis, ex vi pacti taciti, quod inter concives, dum in societatem coiverunt, initum censetur. Ex hac naturali æquitate Juris - Consultus Paulus deducit Actionem *Aque pluvie arcende*, ratus, ea quidem, *ne minem cogi posse, ut vicino profit, sed ne vocet, aut interpellet facientem, quod ju-*
re

re facere possit, addens: *hac equitas suggerit, etsi jure deficiamus* 98.). Unde regula statuitur: quod tibi non nocet, alteri vero prodest, ad id tolerandum compelli poteris. Ex eodem principio derivantur omnia Interdicta, quando vis fieri prohibetur illi, qui suum vel publicum commodum promovere cupit; ab altero tamen, cui incommodum hac ratione non infertur, impeditur. Similiter ex æquitate naturali nascitur mihi actio, si alter occasione rei meæ lucrum quaesivit; ejus enim lucri repetitio mihi conceditur. Nam etsi nec factum meum, nec delictum alterius intervenit, nihilominus *pecunia mea, que ad te pervenit, eam mihi a te reddi, bonum & æquum est*: ex qua regula Juris-Consultus Celsus notabilem decisionem facit 99.). Unde etiam aliqui inferunt jus petendi fructus extantes ex re mea perceptos a possessore bonæ fidei. Cum ejusmodi actiones speciale nomen non habeant, recurrimus ad CondiCTIONEM ex allegata Lege 32.

N 3 de

98.) L. 2. §. 5. ff. de Aqua & aquæ pluviæ arc.

99.) In L. 32. ff. de reb. cred.

de Reb. cred. vel locus erit implorationi Officii Judicis. Similiter ex Leg. 23. ibid, competit Actio ad repetendum pretium, quod obtinui ex seruo bona fide vendito, qui tibi legatus fuerat, *quasi ex re tua locupletior factus sim.* Plurimæ ejusmodi Actiones ratione facti naturalis, vel initæ Societatis humanæ, ex æquitate originem ducunt.

*Vel ex
mutua
conven-
tione.*

§. 164. Aliæ Actiones descendunt ex facto mutua conventionem declarato, scilicet per pactum, per contractus nominatos vel innominatos, aut quasi contractus, unde oriuntur Actiones personales, ex jure ad rem seu ex obligatione alterius erga me, vi cuius peto rem non ut meam, sed ut mihi debitam, vocanturque *Conditiones* directæ & contrariæ, quarum multæ commemoratæ sunt in Libello de Jure Rer. Eccles. Sect. IV. ubi de Contractibus actum est.

*Alia A-
ctionum
genera.*

§. 165. Ex facto, quo dominium acquiritur vel transfertur, aut jus in re constituitur, oriuntur Actiones Reales; vocanturque *Vindicationes*, quando agitur de re Corporali: quando autem de re incorporali, dicitur Actio Confessoria, vel Negatoria: ex jure Pigno-

Pignoris competit Hypothecaria. Actiones *bonæ fidei* 100.) sunt, quando permittitur Judici potestas ex bono & æquo æstimandi, quantum Actori adjudicari debeat. *Stricti juris* dicuntur, ubi Judex adstringitur, ut presse inhæreat verbis contrahentium, vel Legum. Quamvis differentia harum Actionum hodiernis moribus sublata, & omnes Actiones bonæ fidei esse videantur, nihilominus ipsa natura & qualitas negotii sæpe exigit, ne quis ultra strictum verborum suorum sensum gravetur, præcipue in Contractibus unilateralibus. Aliquæ dicuntur Actiones *Arbitrariæ*, in quibus, nisi arbitrio Judicis is cum quo agitur, Actori satisfaciatur, condemnari debet. Talis est Actio ad exhibendum 1.). De Remediis Possessorii dicetur Tit. XX. Ex facto illicito præter Actiones Criminales, descendunt plurimæ Actiones Civiles, per quas ipsi Actori aliquid præstandum venit, qualis est Condictio furtiva, Actio expilatæ hæreditatis, Legis Aqu-

100.) Enumeratae in §. 28. Inst. de Actionibus.

1.) §. 30. Inst. ibid.

Aquilæ, de Damno infecto, de novi operis nunciatione, Actio injuriarum, de Effuso, Dejecto, Suspensio, Noxalis, Remedium Legis diffamari &c. Unde Actio dividitur in rei persecutoriam, & Poenalem de qua redibit sermo 2.).

Forma libelli.

§. 166. Ad harum Actionum naturam & intentionem compositus fit libellus oportet. Juvat brevem exhibere formulam libelli summarii. Coram NN. Comparet Mevius, & dicit, se anni elapsi mense Junio mutuasæ Titio centum florenos gratis, qui promisit eos restituere infra sex menses, juxta obligationem propria ejus manu scriptam, cujus authenticam copiam adjungit, exhibiturus etiam literas originales, si exigantur. Verum cum jam elapsi sint non solum sex, sed prope duodecim menses, Titius tamen sæpe extrajudicialiter interpellatus neque curaverit hucusque, neque curet juxta conventionem prædictam centum florenos restituere; ex qua
mora

2.) Plura de Actionibus tradunt Juris Civilis Commentatores ad Librum IV. Institutionum : & illi qui de Actionibus

mora Comparenti grave damnum & præjudicium oritur: Propterea Mevius petit & instat, prædictum Titium cogi & compelli ad restituendos prædictos centum florenos; alias protestatur de omnibus damnis, expensis & interesse. Super quibus omnibus &c. &c. Ex hoc Libello facile colligit Judex, institui CondiCTIONEM certi ex Mutuo, & peti Mandatum, non quidem sine Clausula, ad quod Clausula ista qualificata non est, sed cum Clausula justificatoria, quod decernere Judex potest, & simul cum oblato libello mittere ad Titium, ut mutuos centum florenos Mevio absque mora restituat, aut ut intra quatuordecim dies alleget causas, quare non teneatur Mandato parere.

§. 167. Oblatæ Supplicationi vel *Officium*
Libello actuarius mox inscribit exte- *Actuarii*
rius diem Præsentatæ Scripturæ: notat Decretum Judicis juxta stylum suæ Curia: apponit numeros singulis Scripturis, & hoc ordine refert in Protocollo. Ne aliqua Scripturæ
Judi-

singulares Tractatus ediderunt, uti BÖHM-
MERUS, SAMUEL STRYCKIUS, VER-
LOHNER.

Judiciales perdantur, vel per incuriam ab aliis separentur, solent in accuratioribus Tribunalibus Scriptura a partibus exhiberi in duplo, ut uno exemplo alteri parti communicato, remaneat apud Acta alterum exemplum, & mox cum prioribus eodem filo jungatur, numeratis etiam singulis paginis.

TITULUS XIV. DE IN JUS VOCANDO.

§. 168.

Citationis

SI quis in Supplicatione, vel libello suo Adversarium citari petiit ad proponendam Actionem contra illum 3.), & Judex decernendam Citationem judicet, fit Citatio, quæ est Vocatio Rei ad iudicium juris experiundi causa.

Mores Antiqui Romani;

§. 169. Apud Romanos ipse Actor Adversarium suum in jus vocabat; quod si non protinus sequeretur, testimonium iis, qui præsto aderant, denuntia-

3.) De provocatione Adversarii ad agendum vel replicandum ex L. Diffamari, vel ex L. si contendat. jam supra dictum est.